



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 172. Sed magis tumultus fieret. v. 24.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

alios feliciores se, in ipsis quoque spiritualibus rebus, per quas curari solet invidia. Humanum dico, sicut tu nosti Domine, propter infirmitatem veteris Adam, quam hæreditate acceperunt. Tu vero, Rex pacifice, qui sine invidia communicas bona tua nullius boni habens indigentiam, operaris mirabilia in humilibus servis tuis, qui adiuti fortissima virtute tua, quamvis in principio conversionis suæ tangantur infirmitate ista, præliando tamen & invocando te veniunt ad statum quendam felicissimum, in quo letantur proximorum suorum excellentia, non minus, aut fortasse magis, quam sua.

Da mihi hanc gratiam ut diligam proximum tanquam me ipsum; læter bonis eorum, quasi meis, beati enim viri, quorum anima non affligitur prosperitate aliorum neque dilatatur eorundem adversitate.

§. 171. *Videns autem Pilatus quod nihil proficeret. v. 24.*

Pilatus considerando verba Iudæorum & malitiam in respondendo quodque ex suis verbis, quibus conabatur liberare Christum ob innocentiam, nihil proficeret ob impulsam & suggestionem principum, atque ideo rationibus amplius non esset agendum, cum hoc populo irrationabili, tumultuante & malitioso, iudicabat ad impediendum tumultum & seditio- nem in populo, dimittendum Barabbam, & sic paulatim magis appropin- quavit ad voluntatem Iudæorum, & à sua recessit.

Quid agis Pilate? ut vitentur mala non sunt facienda mala. times tu- multum in populo, ideone vis consentire in malum morale? ideone cum populo iniquè agere? cave. Tu præses es constitutus, ille subditus: tu Iudex, hic accusator pessimus, tu prudens, ille imprudens: tu videns, ille cæ- cus; tu hæctenus iustus fovisti iustitiam, ille iniustus & veritatem odians: Noli desistere à veritate.

Domine, etiamsi contingat me nihil proficere posse apud proximum male agentem in concilio, curia, senatu, capitulo &c. verbis monitis, ora- tionibus, exercitiis piis, obsecro ne deficiam idcirco ego quoq; & recedam à iustitiæ via, quia tu eris remunerator meus, qui vides intentionem cordis mei.

§. 172. *Sed magis tumultus fieret. v. 24.*

Tumultus est ex actione discordantium quæ opinor accidit ex eo quod turba astantium Iudæorum coram tribunal clamaient Barabbam, dimit- tendum esse, & timerent ne non dimitteretur, sed loco eius Christus libe- raretur.

erant itaque indignabundi & tumultuantes, quod non statim ad petitionem ipsorum redderetur Barabbas. denique quod statim jure nequeunt obtinere vi & clamoribus quarunt evincere. quo clamore perterritus Praeses ex una, ex altera parte ob conjugis suae admonitionem & evidentem innocentiam Domini anxius, nescit cui viam insistat, videns bonum, & non adveniens perficere. plane eo modo quo peccatoribus vel tentatis accidere solet.

O Pilate vide quid agas? hic agitur de tua fide Romanis praestita quod velis justum judicium facere omnibus, nullo habito respectu ullius personae, vel honoris vel utilitatis propriae: agitur de tuo honore, agitur de tua conscientia, si ex timore perdendi gratiam Iudaeorum, per accusationem eorum cedere vis clamoribus impiorum, & non judicare secundum rectitudinem & certam scientiam tuam. Suadeo tibi, si judex iustus esse velis, si veritatem amas, si gloriam & honorem verum apud Deum & homines habere desideras, ne audias voces incantantium, ne terrearis ob populum tumultuantem, melius enim tibi erit & laudabilius servare iustitiam illam & conscientiam intactam. quam basiliscum audire frementem: sed, pro! non audis me. quomodo enim? qui ne quidem uxorem audis?

O Pilate, Pilate, si scires quanta sit virtus Magnanimitas, maxime in schola Jesu Christi, pro cuius defensione modo certas & turbaris simul, cito resolveres te pro aequitate & dimitteres Jesum innocentem & crucifigeres Barabbam nocentem; obdurares aures ad voces clamantium, qui dicunt: *crucifigatur*. habet enim hoc bonum inter alia multa schola Jesu Christi, ut non contenta parvis aut mediocribus operibus, quaerat operari magna, Heroicos exercere actus uti Eleazar ille & Machabaei, propter illum Jesum, quem tu modo tenes in vinculis, qui & pro salute nostra mirabilia operatus est. Magnanimitas quippe scholae Christi rara est & pretiosa valde habens conjunctam pietatem, justitiam, timorem Dei; clarificat intellectum, memoriam & voluntatem: beatissimi sunt servi scholae illius, quia per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces, ut morientes & viventes, transeunt per viam vitae istius, calcando nec sinendo se calcari,

O Deus agnosco perplexitatem Pilati, & video me saepe in simili haesisse, quando ex una parte mihi acclamabat concupiscentia carnis & oculorum & superbia vitae, ex altera vero damnabat Iustitia, & Timor Domini & conscientia. Revera non est angustia ultra talem angustiam, in tali erat Susanna in orto, Matthaeus in telonio, Saulus in via, David in palatio &c. In tali angustia, Domine, apparet quid homo & quid tua gratia possit. Deus meus libera omnes homines & me potissimum in tali angustiae hora.